

deprehendi. Possunt etiam sic figurari corpora, ut species & influentiæ venenosæ & infectivæ duceretur quo vellet homo: nam sic Aristoteles fertur docuisse Alexandrum. quo documento venenum Basilisci erecti super murum civitatis contra exercitum, deduxit in ipsam civitatem. Possunt etiam sic figurari perspicua, ut omnia homo ingrediens domum, videret veraciter aurum, & argentum, & lapides pretiosos, & quicquid homo vellet, quicunque festinaret ad * visionis locum nihil inveniret. Non igitur oportet nos uti magicis illusionibus, quum potestas Philosophiæ doceat operari quod sufficit. Sed de sublimioribus potestatibus figurandi est, quod ducantur & congregentur radii per varias fractiones, & reflexiones, in omni distantia qua volumus, quatenus comburatur quicquid sit objectum. Nam hoc testantur perspicua comburentia antè & retro, sicut auctores certi docent in suis libris. Et maius omnium figuretionum & rerum figuratarum est, ut cœlestia describerentur, secundum suas longitudines & latitudines in figura corporali, qua moventur naturaliter motu diurno: & hæc valeret regnum unum homini sapienti. Hæc igitur sufficient pro exemplo figuretionum, quamvis infinita alia miranda proponi possent in medium.

*Al. viſſ.
tare.*

C A P U T VI.

De experimentis mirabilibus.

His verò sunt quædam annexa sine figuretionibus. nam in omnem distantiam quam volumus artificialiter compонere ignem comburentem ex sale petræ & aliis. Item ex oleo petroleo & aliis. Item ex maltha & naphtha & similibus, secundum quod Plinius dicit in libro secundo capit. 104. civitatem quandam se defendisse contra exercitum Romanum: nam maltha proiecta combussit militem armatum. His vicinus est ignis Græcus, & multa comburentia. Præterea possunt fieri lumina perpetua & balnea ardentia sine fine. Nam multa cognovimus quæ non consumuntur in flamma, ut pelles Salamandræ, talk, & hujusmodi quæ adiuncto aliquo inflammantur & lucent, sed non comburuntur imo purificantur. Præter verò hæc sunt alia stupenda naturæ. * Nam soni velut tonitus, &

Ooo

corus-

Janes Vanij.

*Lumina
perpetua*